



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Eius vitæ ratio postremis annis, & extremi temporis actiones quædam.
cap. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

co consilio, legatos ad Rhætorū conuentum mitterent; de integra religio nis libertate populis dedititiis restituenta. qui etiam publice testarentur; si quemadmodum iustum erat, & fœderis legibus continebatur, Rhæti non fecissent; nolle se eiusdem fœderis iure, si quid ijs aduersi accidisset; teneri; subsidiumve aliquod ferre. Quæ legatio magni sine dubio ponderis, plurimum catholicis valuisset, si cætera quoque teneri potuissent. His omnibus Caroli officiis, conatibusque, simul fortitudine Mesaucorum, mire catholici earum regionum omnes sunt excitati. languet permulti quidem in studio tuendæ salutis, fideique tum conseruandæ, tum propæ gandæ; siue quia in vitis sæpe iacentes fide sunt infirma; siue quia tales dominos timent; nullo præsertim parato defensore. Sed in vniuersum tamen ad fidei libertatem recuperandam; & ad grauissima quoque pericula ob eam causam subeunda, sese per id tempus erecto animo, paratos præstititerunt. quæ res fecit, vt quidam fidei negotium, quod Carolus vnū agebat, ad rem suam, cupiditatemque accommodantes; cum duces aliquem tantummodo, paucosque armatos populis Teling vallis deesse ad arma contra Rhætos capiendæ existimarent; militum manum ad eos ducere, mortuo Carolo nulla auctoritate publica conarentur. cuius rei auctores Mediolanensis Gubernator puniuit. Verum is ardor, alacritasque omnis, quæ ab Caroli auctoritate, liberalitateq; plurimū pendere videbatur, ab eius obitu vereor, ne penitus sit debilitata. quæ tamen, speremus, vt aliquando Dei munere, in spem religionis integre colendæ restituatur. At interim Italici populi in totius præpotentis Italiae, & maximorum christianorum Principum conspectu, hæreticorum dominorum iniuria, qui potentissimi tamen non sunt, percussi iacent. Dei

cultus, sacrorumq; administratio friget; & in dies minuitur, contaminaturque magis. augetur quotidie numerus hæreticorum. Italia pars, terrissima hæresis pestilentia paulatim conficitur, & contabescit. Quæ mala vtinam Dei misericordia ij quandoque respiciant, qui remedium afferre possunt.

Peruenimus ad postremas Caroli actiones: quas tamen postremas fore credebat nemo. nonnulli quidem in eo, vltimis præsertim mensibus, obseruabant aliquid insuetæ imbecillitatis, & maciei. sed tamen, vt sæpe accidit in excellentibus viris, eò longiore vita fore plerique existimabant, quò christiani rebus eam videbant vtiliorem. Imbecillitatis causa putabatur, corporis sui tractandi ratio, quam in summis, assiduisque laboribus tenebat. cum enim in superioris anni Quadragesima tota, pane, & aqua tantummodo se reficere semel in die cepisset, Dominicis diebus exceptis; quibus tamen pisces non gustabat: in eo genere adeo progressus est; vt iam reliqui etiam temporis maiori parte eadem in corpus suum duritia vteretur: cumque ad sequentem peruenisset Quadragesimam huius anni M. D. LXXXIIII. adhuc asperitatem augens, certis diebus ipso quoque pane relicto, ficus aridas tantum, & aquam sumebat. atque vltima hebdomada, quæ sanctius colitur; ficis omisis, lupinis vti constituerat. Cruda legumina puto imitatione Patrum voluisse adhibere, inter quæ vnum lupinum egenis vsui esse aqua maceratum, hoc tempore videre potuit. Verum ob eam causam abstinuit, de qua nunc referam. Non multos ante dies erysipelas in crure rursus apparuerat, vlcusque fecerat: cuius curandæ causa, medicis parens, iacuerat complures dies. cum minime sanaretur; concessere Medici, vt surgeret, motusque beneficio frueretur. ita tum sa

Eius vitæ actio postremis annis; & extremæ temporis actiones quædam. CAP. VI.

cras

eras ordinationes initio Quadragesimæ habuerat; tum alia gesserat, quæ opus erant: neque crure amplius laborauit: ac dum surgendi facultatem peteret; affirmaretque ex natura corporis sui bene cognita, sese ex ea re conualescere posse; medici autem primò quidem non concederent: quidam ex familiaribus, existimans Carolum cum vitæ discrimine medicis minime pariturum; idque animo suo dolens; litteris Romam ad Caroli necessarios datis; eum grauer ægrotare scripsit; neque velle medicorum curationem admittere. Ibi de re consultant. efficiunt denique vt ad eum scribat Pontifex in hanc sententiam: sese ægre admodum ferre, quòd curationem pati nollet: monere autem, vt sanctos viros animi virtute imitaretur; corpus eatenus affigeret, quatenus vires, æquitate seruata, ferre possent. Postremo etiam grauer imperat, vt in vita moderanda medicorum consilia sequatur. Carolus, qui tum se valere sentiebat; sibi que conficius erat, in proximo morbo nihil se eisse contra medicorum præscripta: qui de falso item nuncio, vnde litteræ aperte pendebant; & omnino vnde fluxerat tota res, satis compertum habebat: qui denique sciebat, omnem vitæ suæ rationem Pontifici, cum eum proxime fuerat allocutus, retulisse; & quæ is improbasset, dimisisse: nihil in re tanta, tali loco, & tempore sibi temere faciendū statuit: sed Pontifici scribendum; vt is cognita veritate, sententiam suam aperiret. sed interim tamen medicos accersit; de vita spirituali, atque Episcopali medicinæ legibus astringenda quærit: aliqua de asperitate suscepta remittit. Primo igitur, quæ de proxima ægrotatione se accepisse Pontifex ostendebat; ea falsa esse litteris demonstrat. Addit se de tota valetudinis, vitæque suæ ratione, iam nunc Patri sanctis-

simo quæ vera esse existimaret, exponitur: facturum deinde diligenter, quod is iuberet. Sese antea, quod Pontifex ipse recordari poterat, dum medicorum præscripta sequeretur, infirma semper fuisse valetudine: demum etiam ita sese habuisse, vt ad modicum tempus existimaretur vitam posse producere. ante annos circiter duodecim, piorum, prudentumque virorum consilio, mutasse viuendi rationem; a præscriptionibus medicorum discessisse: adeo foeliciter euenisse; vt quæ valetudo studiosa obseruatione, cura que sustentari non potuerat: ea vulgari viuendi modo optime confirmaretur; vitæque longioris spem afferret. si tunc demum post diuturnam consuetudinem, cum annū ætatis ageret quadragesimum sextum, sese ad medicos referre voluisset; neque sine muneris sui graui impedimento, & cum manifesto vitæ discrimine id futurum. At tamen artem se medicorum nullo modo aspernari; ne latum quidem vnguem ab eorum præscriptis discedere, cum ægrotaret: alias etiam eorum consilia requirere. at ea semper sequi, eorumque se obseruationibus addictum præstare; id vero neque menti eius sanctissimæ; neque vitæ Episcopali videri consentaneum: quod vel medicus ipse fateretur, ab eo proxime consultus. veterum Patrum, & Sancti Ambrosij in primis, hanc esse sententiam: diuinæ cognitioni contraria esse præcepta medicinæ; à ieiunio reuocare; à lucubrationibus, & ab omni intentione mentis abducere; eum qui se medicis daret, seipsum sibi abnegare; omnino cura corporis huius auerti neminem a studio disciplinæ debere. Pontificis ipsius exemplo ita doceri, qui medicas obseruationes in vitæ suæ ratione minime seruaret. hæc ita cum se haberent, qui pontificio iussu medicorum consiliis addictus esset; eum certe perpetuis conscientia

stimu-

stimulis, atque angoribus necessario cruciandum. Quod existimaretur ea corporis asperitate vti, quæ vires superaret: hoc vere affirmare posse; neque se eam, quæcunque esset, valetudini se habere contrariam; & ad munera sacerdotalia facilius obeunda accommodatam. omnino eum se modum minime transire, quem superiore anno, cum ad eius iudicium omnia sua detulisset, Pontifex ipse comprobasset. si etiam continentia, & corporis afflictione paulò magis progrederecetur, quam vulgo alij multi solerent; minime videri improbandum; tum ad delenda peccata; tum ad sanctorum virorum; immo ad ipsius, qui sanctorum est auctor, actiones aliquo modo imitandas: idque maxime, quod eius ipse ordinis, hoc est Episcoporum esset; quibus non animi virtute solum, sed exercitatione item corporis; ex Gregorij Nazianzeni, aliorumque Patrum doctrina; reliquos omnes longe post se relinquere studendum esset. Quod autem ea vitæ ratio futuris temporibus, coniectura quadam sibi nocere posset: incertæ offensionis metu, certos salutarium operum fructus negligendos non videri; neque tam longe cauendum: alioqui corporis afflictionem, pœnitentiæque officia homini christiano necessaria, quis vnquam suscepisset? Si etiam animo in res salutares intento, Episcopus in eiusmodi exercitatione præter voluntatem aliquid corpori suo noceret; quod sanctis plerisque legeretur euenisse; non esse id tamen damnum. merito patres existimasse, sacerdotes ab ipso Christo Domino salii; & lumini ob id quoque comparatos; quia illud dum condit cibos, liquefit; hoc dum ardet, & diffunditur, oleum sibi consumit. confidere se, ea omnia summo Patri probanda. at vero quidquid significasset, ei se omnino prompto animo pariturum. Cardinali autem Comen-
no qui Pontificis erat negotiorum præ-

cipuus administer, Pontificisque epistolis præfectus; & litteras ipse quoque ad Carolum ea de re dederat, respondens; addidit, si Pontifex in ea perstaret sententia, quam litteræ præ se ferrent: nulla alia ratione se posse conquirere; cum illius iussu vi, ac timore sollicitari perpetuo necesse esset; nisi vt dimisso Archiepiscopatu Romam demigraret; ibique in conspectu Pontificis viueret; qui eius vitæ rationem quotidie cognoscens, eum ab conscientia aculeis, quotidianisque moribus liberare potuisset. sed is rescripsit, nolle Pontificem Carolo vinculum iniicere; sed eius arbitrio permittere, quando medicorum consilio sibi vtendum esset. Factum huiusmodi fecit; quoniam in iis epistolis scribendis nostra opera vti voluit; vt de eius vita, sensuque plenius cognosceremus, certiusque scriberemus. optandum erat fortasse, vt saltem durissima quædam in tempore nominatim interdicerentur; si virtutis illius, vitæque fructum ita forte potuissent diutius percipere. nam medicorum præceptis hæere semper quomodo posset tali consuetudine, tali occupatione Præsul? Verum illud potius existimandum est; in hoc Dei seruo, quem admodum in aliis multis, de quibus nominatim agere longum esset, diuina benignitate factum: vt ad exitum vitæ huius appropinquans, clariori sanctitatis luce splenderet: quod illi expeditius esset ad beatitudinem consequendam; ceterisque ad virtutis imitationem illustrius. neque vero nouum est; sanctos viros, vt optimos cursores, hisce viuendi spatiis, eò se magis incitare, quò propius accedunt ad metam: licet eos sæpe quidam hæsisse dicant in cursu, quos oculis corporeis ad metâ peruenisse non vident. ego enim ita sentio; multos Deo deuotos viros, non quòd extremo tempore durius vixerint, longius vitam non potuisse producere: sed quos

quod a fine vitæ propius abessent; ijs Deum dedisse durioris vitæ beneficium. Finem vero vitæ prælagiens Carolus dicebat; de maiore annorum numero, se omnium minime sollicitum esse debere; qui mirabiliter quodammodo, quantum ex priore imbecillitate iudicari poterat, ad eam ætatem perductus esset. quæ quidem ætas esset fere familiæ suæ. Gibertum patrem mortuum; dum annum XLVII. ageret: fratrem Federicum multo iuniorē: sorores quatuor ante illam ætatem vita excessisse; duās prope adolescentētes. quid sibi reliqui tandē existimaret; nisi forte paucos annos in doloribus, cruciatibusque corporis esse traducendos? Cum Franciscus Adornus ad eum per idem tempus venisset; huius generis nonnulla locutus, Patrem quodam quasi ioco interrogavit, quæ ætate esset; cumque audisset, si recte memini, esse circiter quinquaginta annorum; heus, inquit Pater, num adhuc in vita manēdum est? quæ quidem erant itidem obitus sui proximi prædictiones quædam. Post Paschæ celebritatem cum crucis festum appropinquaret, inuitavit Augustinum Valerium Episcopum Veronensem, qui paulo ante creatus erat Cardinalis; ad illa sua sacrosancti clauis solemnia: propter quæ Duci Mantuano se tum excusauit, ne ad eius filij nuptias iret. ita cupiebat optimi Antistitis, quem plurimi semper fecerant, & amplissimo honore dignum iudicauerat, spiritali cōsuetudine paulum frui. Sed paucis ante festum diebus ei nunciatum est de grauisimo Ioannis Delsini Episcopi Brixienensis morbo: cumque tota die Dominica in diuinis officiis de more fuisset; nocte Brixiam summa celeritate venit. mane cohortationē, sacrisque necessario tempore hominem magno pereiuuat: mortuo funus curat; celebri Missæ officio suffragatur; pia concione cohonestat: his omnibus Brixien-

xium pietatem magna cum iuuentate iuuat, demum ad Crucis festum, quod feria quinta celebrandum erat, citatis equis, quoniam ita ob temporis breuitatem necesse erat, noctis festum præcedentis hora octaua Mediolanum peruenit. tanti momenti putabat, pijs populi studiis, officioque suo, cum vsu veniret, non deesse. tum viatoris vestibus statim positis, quasi ad illam horam commode quieuisset, ijs meditando, quæ in concione postero die dicturus erat, reliquo noctis tempore operam dedit: nocturnis, matutinisque sacris interfuit; Pontificali more Missam fecit; concionatus est; clauum consueto viarum ambitu, sacris ordinibus cunctis productis, portauit; reliquum diei in vespertinis sacris, aliisque de more diuinis exercitationibus integre posuit. Ab Augustino autem, vt alias, sic eo die impetrauit, vt piam vespere concionem ad Mediolanenses haberet. Reliquos anni menses consumpsit in consuetis laboribus: quos quidem, & extremo omnino illius facta, ne minime nimis a me descripta, prudentiores quidam iudicati sint, non nihil vereor. sed nihil dicturum me confido, quod iure superuacuum videatur, aut leue: religiosioribus certe mentibus plerisque gratificaturum me, profuturumque scio. Visendis ecclesiis diocesis suæ ea ætate se exercuit: idque magis quam autem fructuose. denunciarum enim vnoquoque loco ante iubeat aduentum suum; & amplum indulgentiæ beneficium iis proponi, qui peccata confessi communicassent. Sacerdotes præmittebat magna auctoritate sacramenti poenitentiae administratos. ipse cū venerat, sanctissimum Eucharistiæ cibum præbebat. magnus vbique constabat sacræ poenitentiae, ac salutaris expiationis fructus. nam plerique negotiis omisis, ea præclara dona cupide admodum a charissimo Patre accipiebant. Modetiam ve-

mit; vbi nostram sanctæ Mariæ ecclesiam tribus cum altaribus cum dedicasset, xvij. Cal. Iulij; in collegio, quod semper, vt opus suum, amaue- rat, mira quadã abiectione solus man- sit; ad Nouitios rogatus a nobis, ver- ba fecit amantissime, de perfectæ vi- tæ institutis. At vero libenter alioqui per id tempus frequentiam fugiebat; & in remotiora loca discedebat, ne- gotiorum se molestiis subtrahens; vt sacris studiis, diuinisque contempla- tionibus vacaret. quod gubernationis, actionisque omnis iam iam depo- nenda, diuinæq; contemplationis in- tegre suscipiendæ, omne quoddam vi- deri posset. Sed Mediolanum tum ad præcipua festorum solemnia redijt, vt solebat semper; tum ad consecra- tionem primo Albensis, deinde Alex- andrini Episcopi electi. nam & ipse sacris eiusmodi officiis delectabatur; & pii viri sibi a tanto Antistite manus imponi cupiebant; a quo præterea di- scedebant optimis ecclesiasticæ disci- plinæ præceptis locupletati. Atque Octauium Parauicinum Alexandri- num, nunc Cardinalem cum conse- crasset; eduxit etiam secum ad eccle- siarum lustrandarum munus. nam, & ipse optima noui Episcopi voluntate, virtuteque delectabatur; & ille anti- quam religionem magni, & episcopa- li munere diu gloriose perfuncti An- tistitis, singulariter obseruabat.

Exeret se-
te in monte
salutariter.
iter facit æ-
grotans.

GAP. VII.

Celebraturus erat sacra, quæ dici- mus, Septembris mēsis tempora; cum accepit, Franciscum Bossium Noua- riæ Episcopum ita ægrotare, vt mor- ti propinquus iudicaretur. iusserat au- tem ille Carolum certio rem fieri, & suo nomine tantummodo postulari, vt sibi benediceret morituro. Caro- lus autem statum illius temporis ordi- nationum munus Francisco Cittadi- no Episcopo cum mandasset; paucis horis post nuncium allatum moratus, nocte ipsa Nouariam contendit, quæ triginta passuum millia Mediolano di-

stat. mortuum Episcopum inuenit; consueta pietatis suffragia tribuit; in concione populum cohortatus est; quæ tali tempore conueniebat. eccle- siæ ministros monuit, quid facerent, dum Episcopus a Pontifice daretur. Nouaria Guido Cardinalis Vercellen- sis, eum ad Messerani Marchionem communem cognatum adduxit; vt in mortifero morbo hominem consola- retur, & iuaret; quod vtiliter admo- dum effecit: nam Marchio sacramen- to pœnitentiæ expiatus, & Euchari- stia sanctissima munitus, pie mortem obiit. Vercellis aliquot dies fuit; vbi in componendis illius ecclesiæ rebus, cū Episcopus apud Imperatorem Sc- dis Apostolicæ nuncius abesset, versa- tus est. Constituerat eo tempore sese diutius salutariter colligere; quibus in rebus a multis mensibus peccasset, & suis defuisset officiis, attente perui- dere; errata confiteri; veniamque a Deo postulare: tum per diuinas etiam contemplationes ad pietatem, vitæq; sanctitatem acrius sese incitare: & ad negotia præterea, quæ tum illi erant in manibus, pie, & feliciter gerenda, diuinam opem enixe implorare. qui- bus rebus solitudine opus erat. Eius- modi exercitatio cum aliàs ei cordi esset vehementer; tum eo tempore erat optatissima, ob mentem magis, quàm antea diuinarum cōtemplatio- num cupidam; earum præsertim, quæ de cruciatibus, morteque Christi Do- mini essent: quas per ea tempora stu- diosissime, ardentiq; animo frequen- ter tractabat; articulatim ordinabat; litterisq; mandabat. qua quidem men- te, studiisque clementissimus Deus, id quod demum post factum clarius apparuit; sacerdotem suum iam iam ex hac vita migraturū ad æterna præ- mia præparare videbatur. Varallum vbi alias simili de causa fuerat, tunc etiam ad eam rem delegit. vico id no- men est, qui Nouaria, & Vercellis æquo spatio distat, ad passuum millia

cir-